

**C.A.P.E.S.**  
**CONCOURS EXTERNE**

**Section : LETTRES CLASSIQUES**

**VERSION LATINE**

**UN TRIBUN DE LA PLEBE ET LE PREFET DE ROME S'AFFRONTENT A PROPOS DU  
POUVOIR CONSULAIRE (458 av. J.-C.)**

Sic res Romana in antiquum statum(\*) rediit, secundaeque belli res extemplo urbanos motus excitauerunt. C. Terentilius Harsa tribunus plebis eo anno fuit. Is consulibus absentibus ratus locum tribuniciis actionibus datum, per aliquot dies patrum superbiam ad plebem criminatus, maxime in consulare imperium tamquam nimium nec tolerabile liberae ciuitati inuehebatur : nomine enim tantum minus inuidiosum, re ipsa prope atrocius quam regium esse ; quippe duos pro uno dominos acceptos, immoderata, infinita potestate, qui soluti atque effrenati ipsi omnes metus legum omniaque supplicia uerterent in plebem. Quae ne aeterna illis licentia sit, legem se promulgatum ut quinque uiri creentur legibus de imperio consulari scribendis ; quod populus in se ius dederit, eo consulem usurum, non ipsos libidinem ac licentiam suam pro lege habituros. Qua promulgata lege cum timerent patres ne absentibus consulibus iugum acciperent, senatus a praefecto urbis Q. Fabio uocatur, qui adeo atrociter in rogationem latoremque ipsum est inuectus ut nihil, si ambo consules infesti circumstarent tribunum, relictum minarum atque terroris sit : insidiatum eum et tempore capto adortum rem publicam. Si quem similem eius priore anno inter morbum bellumque irati di tribunum dedissent, non potuisse sisti. Mortuis duobus consulibus, iacente aegra ciuitate, in conluuione omnium rerum, ad tollendum rei publicae consulare imperium laturum leges fuisse, ducem Uolsis Aequisque ad oppugnandam urbem futurum. Quid tandem ? Illi non licere, si quid consules superbe in aliquem ciuium aut crudeliter fecerint, diem dicere, accusare iis ipsis iudicibus quorum in aliquem saeuitum sit ? Non illum consulare imperium sed tribuniciam potestatem inuisam intolerandamque facere ; quam placatam reconciliatamque patribus de integro in antiqua redigi mala.

(\*) Une grave épidémie avait ravagé Rome à la fin de l'été précédent. Pour l'heure, la guerre contre les Volsques et les Eques venait de s'achever par une écrasante victoire romaine.